

petitionem matris filiorum Zebedæi, Matth. 20. item contentionem discipulorum sub ipso passionis vestibulo, inter ipsos exortam. Luc. 22.

5. Præmunire Apostolos suos voluit, ut minus postea, cum omnia illa fieri viderent, ostenderentur. Etenim tela præuisa, minus feriunt. In hunc finem hoc consolationis argumentum toties repetit, in vltima illa concione, Io. 13. 14. 15. 16. capitib. *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet: Audiistis me dixisse vobis: Ab eo, & redibo ad vos. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Item: Hæc locutus sum vobis; ut cum venerit tempus illud, memineritis eorum, quod ego dixerim vobis.*

6. Ut discipuli postea maiori cū fiducia in eum crederent, sicut & euētus in Petro, Thoma, aliisque Apostolis omnibus præbauit.

7. In primis, ut nos doceret, ipsum non inuitū, sed sponte passionem hanc subire, id quod icire nos maximè refert. Siquidem voluntaria nostri a Deo defectio, voluntariam quoque requirebat satisfactionem. Huc pertinent loca illa: Psal. 40. *Sacrificio, & munere non delectatus es, holocaustum, & oblationem noluiisti, &c.* sicut hunc locū de voluntaria Christi passione interpretatur Apost. Hebr. 10. Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha edere vobiscum, &c.* Io. 10. *Ego sum pastor ille bonus, qui ponit animam pro ouibus suis. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, &c.* confer Luc. 12. 49. 50.

8. De amore suo erga nos immenso, cor nostrū conuincere voluit. Ideo multis in locis, non nudè & simpliciter passionis suæ mentionem facit, sed per partes, & membratim quasi eam enumerat: *Filius hominis, inquit, tradetur, illudetur, conspuetur, flagellabitur, coronabitur, crucifigetur, occidetur.* Omnia hæc probe præsciuit, nec tamen vel locum vel passionem ipsam declinauit, sed amor vicit, ut intrepidè etiam acerbissimam mortem adierit. De hoc amore ipse Christus ait: *Maiorē charitatē nemo habet, &c.* Io. 15. 13. item Paulus: *Cōmendat suam charitatē Deus, &c.* Rom. 5. Et sic decebat sponsum caelestem, sponsæ suæ Ecclesiæ, amorem quo erga ipsam flagrabat testatū facere, ut in omnibus necessitatibus certi essemus, nunquam hunc amoris erga nos ignem extingui posse.

Vsus